



Plangite templa, scholae lacrymantes plangite multum,
Chemniciumque dole, TVA quondam firma columna
Nunc iacet extinctus subito GVIHLINGIVS, eheu!
Vir pietate grauis, merito quem pectora vestra
Lugent, lugebunt docti, dum sidera caelum
Pascet, dum fluuius properans gelidas vehet vndas,
Propterea insignis doctus quod lumina claudit.
Hunc vero Vobis DOMINVS DEDIT, ABSTVLIT IDEM,
Sic Domino placuit, placeat Vobisque voluntas
NVMINIS: Hinc nimias lacrymas compefcite vestras.
Depositis curis iam sentit gaudia laeta,
Gaudia laeta capit, nullum quae terminat acuam
Atque suis meritis semper florebit in orbe.

Honoris & memoriae causa scripsit

M. Ioan. Georgius Hager,
Rector.

Ingenti quoties coelum tonat omne fragore,
Et subitum fulmen limina nostra petit,
Permeat extemplo pavor ossa, pedesque, manusque,
Temporis in puncto pallor & ora subit.
Quo fugiat, mens nostra quidem circumspicit aegra,
Nec tamen officium pesque, manusque facit.
Tanguntur subito sic pectora nostra tremore,
Pristinus & linquit languida membra vigor;
Fama TVAE mortis quando penetrauit in aures,
Heu nimium velox nuncia, fama, mali!
Nec TE, GVIHLINGI, pietas a morte redemit,
Nec docto quidquam proderat esse TIBI.
Non audire licet porro TVA dulcia verba,
Quae nobis tradunt dogmata pura dei!
Quemque immortalem voluisset quilibet esse,
Mors nobis nimium praecipitata rapit!
Si TE scissemus longos sensisse dolores,
Solamen nobis forsitan illud erat.
Sed TIBI forsitan erat melius sic ponere vitam,
Ne vexarentur membra dolore graui.
Haud TIBI tam placidae mortis genus invidet vllus,
Viueret quem porro fata deusque vetant.
Semper honor, nomenque TVVM, REVERENDE, manebunt,
Atque canent laudes postera secla TVAS.

His verbis triste officium peragit

M. Christianus Friedr. Iüngerus,
Conrector.